IGNEA SPECULA,

Ardenter Amantium JESUM Crucifixum,

In menstruis Exhortationibus,

Congregationi Christi Agonizantis, Bambergæ proposita,

Ut sodales illorum exemplis discant, IESUM crucifixum ardenter amare: ferventer orare: & sancte mori.

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO,

è Soc. Jesu.



BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI,

ANNO M. DC. LXIX.

EXHORTATIO I.

MENSE JANUARIO.

Primum Igneum Speculum. Vulneratum cor Jesu Crucifixi.

Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur.

Luc. 12. cap. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Sodalibus Agoniæ, cum apprecatione novi anni prostrena offert, Ignea specula, ardentium Amatorum Iesu Crucifixi.*

§. 2. *In tali speculo proponit, quomodo sub oratione rosarii quinque Vulnerum, pro felici morte benedicta Vulnera riganda sint lacrymis, & igneo torrente, inter accensas aspirationes.*

§. 3. *Alterum speculum repræsentat, erumpentem è pectore orationem, velut rubram & sanguineam flammam, evolantem in altum.*

§. 4. *Patri Francisco Acosta è Soc. Iesu, speculum orantis, cum magna perfectione, fuit Magdalena sub cruce.*

§. 5. *Vt talis oratio, simul sit munda & pura, inspiciendum prius est speculum conscientiæ, & si quid sit quod displiceat Christo crucifixo, per actum contritionis illud abolendũ est.*

SOdalibus quoque sanctæ hujus congregationis agoniæ Christi Redemptoris nostri, annum hunc novum Millesimum Sexcentesimum Sexagesimum sextum, precor faustis- *§. 1. Sodalibus agoniæ cum apprecatione novi*

anni, pro strena offert ignea specula ardentium amatorum Iesu crucifixi.

faustissimum & felicissimum; & iis præsertim, qui ex ingenti præsentium numero hoc anno morituri sunt, ut per sanctam mortem ordiantur initium anni beatissimi, sive felicissimæ æternitatis. In signum faustæ apprecationis offeram spiritualem strenam, quam sumpsi ex thesauris Jesu crucifixi, ex sanctissimis ejus Vulneribus, & præsertim ex ardenti ejus pectore, atque accenso corde, Ignea, vel ustoria specula; in quibus decursu hujus anni, si Deo ita placet, vobis proponam, sancta exempla, teneras devotiones, ardentes orationes, ferventes affectus, ardentium amatorum Jesu crucifixi, ut ab illis & nos discamus, illum ardenter amare, & ferventer orare, hoc potissimum fine, ut obtineamus sanctam mortem, hæc duo discite; amare Christum, & bene orare, sic discetis bene mori.

§. 2.

In tali speculo proponit, quomodo sub oratione Rosarii, Vulnera Christi riganda sint lacrymis & igneo torrente inter ardentes aspirationes.

Igneum speculum, sive ardens amator crucifixi fuit ille Religiosus, cujus mortem Historia Vitæ his verbis describit: Crucifixum extremis temporibus sibi porrectum, multis lacrymis irrigavit; singula Vulnera torrente quodam igneo visus aspergere, inter suspiria, & aspirationes, inflammati cordis testes. In hoc speculo, cupio ut advertamus, quomodo paulo post orandum nobis sit Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, pro felici morte, & qua ratione Christum pendentem in cruce amare possimus. Non sine causa, ut videtis, in cœtibus hujus congregationis, omnibus spectanda proponitur imago crucifixi; modo hoc cupio; sub prima & altera decade Rosarii oculos vestros figite in Vulnera sanctissimorum pedum; sub tertia & quarta decade elevate illos altius, ad vulneratas & sanguineas ejus manus, fixis oculis, illas aspicite; sub ultima decade ipsum Vulneratum latus & cor crucifixi inspicite; præter hanc devotionem oculorum, duo desidero sub ipsa oratione; hinc, ut illa sit madida tenerrimis lacrymis contriti cordis, ut tam dulci aqua sacrosancta illa Vulnera irrigentur; quoties dicetis, *Benedictus fructus ventris tui Iesus*! intus in corde suspirate, gemite, O bone Jesu, cur unquam te offendi! doleo! doleo! hæc suspiria sunt lacrymæ cordis, quibus irrigantur Vulnera crucifixi! hæc suspiria sunt actus perfectissimi amoris, erga

eundem

eundem, & ſimul excellentiſſima oratio. Sic ex igneo hoc ſpeculo, diſcite amare, ſic diſcite orare; ſic diſcetis mori! Ex altera parte deſidero eandem orationem Roſarii, eſſe ita ardentem & accenſam; id eſt, verba Roſarii SS. Vulnerum proferri debent, tanta attentione, tanta devotione, cum tam ferventibus ſuſpiriis & affectibus; ut ex ore, de lingua, ex præcordiis pectoris, ex fundo cordis erumpat velut igneus torrens, fluens ſuper cicatrices SS. Vulnerum in prima & altera decade ſuper vulneratos pedes, in tertia & quarta, ſuper ſanguineas manus, in ultima ille torrens refluat in fornacem ardentis amoris, in cor crucifixi. Igneæ guttulæ, ignei torrentis, igneæ orationis ſunt, Jeſu amo te! Jeſu amo te! Hæ guttulæ ſimul ſunt interpretes inflammati cordis. Contemplamini bene igneum hoc ſpeculum, ut ex illo diſcatis, ſic amare crucifixum, ſic orare! ſic ſanctè mori.

§. 3. *Aliud ſpeculum oſtendit erumpentem e pectore orationem, veluti rubram & ſanguineam flammā evolantem in cœlum.*

Ignitum ſpeculum, ardens amator crucifixi, fuit ille Religioſus, cujus in agone pectus ultro apertum diſſiliit, & ex illo viſa eſt egredi rubra & ſanguinea flamma, quæ ſurſum in cœlum ſublimis, volatu igneo ſplendens abiit, eorumque qui hæc ſpectaverunt corda, mirum in modum accendit. Videte in hoc ſpeculo, quomodo debeamus orare Roſarium ſacroſanct. Vulnerum, pro felici morte; ſub prima & ſecunda orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam, cupio ut ſimul intus ſe aperiant pectora & corda, ut inde ad illa ſanctiſſima Vulnera egrediantur igneæ & ſanguineæ flammæ, vel ſcintillæ igneæ! ob flammas amoris erga crucifixum; Rubræ! ob memoriam precioſiſſimi ſanguinis, quem in cruce pro nobis effudit. O jucundum angelis noſtris Tutelaribus ſpectaculum, cum paulò poſt videbunt, tot ſancta deſideria, tot actus amoris erga crucifixum, igneo volatu abire ſurſum, ad pedes, ad manus, & præcipuè ad dulciſſimum cor Chriſti. Habeo icunculam, in quâ coram crucifixo flectit S. Ignatius; ſed ex ardenti ejus pectore, ipſum cor, cum duabus igneis alis evolat ſurſum ad cor Salvatoris. ſic amemus Chriſtum D. His igneis caritatis alis evolent in altum corda noſtra; ſic oremus, &

moriemur ſanctè. Chriſtus ipſe in agonia mortis, in cruce ſic amavit, ſic oravit, ſic mortuus eſt. Verum eſt, materialiter & realiter, poſt mortem, poſtquam in cruce expiravit, Longinus lancea aperuit latus ejus; ſed dudum ante mortem idem pectus, idem cor apertum fuit à latentiſſimis flammis amoris erga Patrem cœleſtem, & erga peccatores. Abundo ſolatio cum videre mihi videor, quam igneæ flammæ, qualis actus amoris integro trihorio Agoniæ mortis, evolarint in altum, ex pectore & corde Chriſti; & quales flammæ eruperint ex igneo illo ore, Pater &c. Sic amemus, ſic oremus; hoc eſt, diſcere mori.

§. 4. *P. Franciſco Acoſta è Soc. Ieſu, ſpeculum orantis, cum magna perfectione fuit Magdalena ſub cruce.*

Igneum ſpeculum, eximius ſodalis Chriſti crucifixi, fuit P. Franciſcus Acoſta è Soc. Jeſu, & ſimul peculiaris amator S. Mariæ Magdalenæ. Tenerrimam ſenſit devotionem, vir pius, cum viva phantaſia ſibi repræſentabat, Magdalenam, vel ſtantem, vel ſedentem in monte Calvariæ ſub cruce cum afflictiſſima Matre Maria; videre ſibi viſus fuit lacrymas, quæ fluxerunt ex oculis Magdalenæ; audire ejus gemitus & ſuſpiria, Ah Jeſu! mi Jeſu: & conabatur ipſe cum illa flere, gemere, & ſuſpirare, mi Jeſu! mi Jeſu. Cum Magdalena, piis oculis jam aſpiciebat vulneratas manus, jam caput coronatum ſpinis, jam faciem plenam ſputis, & præcipuè ſanctiſſimos pedes, cum ardentiſſimis affectibus contritionis, & amoris. Sic amavit! ſic oravit! de morte ait hiſtoria; quod animam expirarit in dulce latus Salvatoris, inter admiranda & inflammata colloquia cum Chriſto crucifixo. Mihi, ſodales amantiſſimi, noſtrum Roſarium nil aliud eſt, quam pium colloquium cum Chriſto comprehenſo inter anguſtias mortis & Matre ejus doloroſa. Jam jam illud incipiemus; ſed opto ego ut ſit admirandum & inflammatum Ut inflammetur! amate cum Magd. cum illa gemite; O quales ejus gemitus, quales flammæ amoris! cum depoſito corpore illi licuit oſculari illa vulnera, cum ſpineam coronam vel clavos ſumpſit in manus &c. ſic amemus! ſic oremus! ſic moriemur ſanctè.

§. 5. *Ut talis*

Adverto vos diſpoſitos ad orationem; hoc tantum moneo;

neo; Amatores crucifixi, oraturi, prius coram crucifixo se ipsos inspiciunt, speculum scilicet conscientiarum; ut videant, an aliquid sit, quod, si sibi moriendum esset, aliquam anxietatem afferre posset, sive, an aliquid in corde lateat, quo Christo crucifixo displiceant; si quid occurrat, statim per actum contritionis illud abolere conantur, ut hoc modo prius in sanguine Christi, corda super nivem dealbentur. Addit pius aliquis libellus, hoc examen ante orationem, moribundis aliquando fore ingenti solatio. Idem ergo breviter faciamus ante orationem nostri Rosarii; coram hoc crucifixo, inspiciamus nos ipsos; statim conscientia timens Deum nobis suggeret, si aliquid sit, quod Christo displiceat; illud eluamus per ferventem actum contritionis, eluamus lacrymis contriti cordis, eluamus precioso Christi sanguine. Oratione munda & accensa, amatores crucifixi, sodales hujus congregationis, infallibiliter obtinent sanctam mortem.

oratio sit simul pura & munda, inspiciendum prius est speculum conscientiæ, & si quid sit, quod displiceat Christo crucifixo, per actum contritionis illud abolendum est.



EXHORTATIO II.

MENSE FEBRUARIO.

Secundum igneum speculum. Imago crucifixi, accendens animas devotas ad ferventem orationem.

Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur.

Luc. 12. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Christus crucifixus, instar igniti speculi suos accendit amatores.*

§. 2. *Idea Christi pendentis in cruce, in visione objecta fuit Dominico de Cunha pictori.*

§. 3. *Iuf-*

§. 3. *Jussus fuit à Christo Domino, conjungere se sanguini crucifixi.*
§. 4. *Qui Christum crucifixum pro se habet, non habet, quod timeat.*
§. 5. *Crucifixus dignatus fuit Dominicum amplexari.*

§. 1. *Christus crucifixus instar igniti speculi, suos accendit amatores.*

REferunt historiæ, tempore Anastasii Imperatoris, fuisse artificem, nomine Proclum, artis tam exquisitæ, ut ingentia fecerit specula ustoria, quæ in maritimorum portuum turribus exposita, emissis à se flammis, longe in mari dissitas naves accenderint & combusserint. Simili speculo soli opposito dicitur Archimedes accendisse naves Marcelli, Romani Ducis. Non disputabo modo, an probabile sit, talia specula ab arte confici posse: hoc mihi certum est, speculum planè ignitum esse Jesum pendentem in cruce; in qua omnes amoris sui radios in unum cogens, eos omnes in benedicto corde in unam univit flammam; & ex eodem ignitos vibrans & ejaculans radios, amatorum suorum corda inflammat, & ipsa quoque in ignea convertit specula; quorum multa oculis vestris (uti pro strena promisi,) hoc anno meæ exhortationes menstruæ proponent. Legi hisce diebus celebris alicujus concionatoris, conciones fuisse ardentissimas, eo quod solitus fuerit eas disponere, scribere, discere etiam flexis genibus ad lumen crucifixi; crucifixus illi fuit quasi lucens & ardens lampas: fateor; quæ hâc exhortatione dicturus sum, de ignitissimo quodam speculo, de ardentissimo amatore Jesu crucifixi, ad ejusdem lumen, coram hâc lampade, ad lucem radiorum, quos ex sanctissimis quinque Vulneribus, præsertim illo ardenti clibano accensi cordis, ardens Jesus emittit, conatus sum legere, scribere, discere; nam cathedram hanc ascendi, ignem mittere in corda meorum sodalium; neque aliud enim volo, quàm ut ille ignis in nobis accendatur; ut tandem illo igne omnes per mortem sanctam comburamur: sive, hoc opto, ut spiritum nostrum aliquando tradamus in manus Salvatoris, inter ferventissimos actus ardentis amoris erga Jesum crucifixum.

Igneum

Igneum ſpeculum hujus exhortationis, proponet oculis veſtris, Religioſum pictorem è Soc. Jeſu, Dominicum de Cunha; occaſio ardentis amoris erga Chriſtum crucifixum, illi fuit ars pingendi, in qua excelluit. Cum enim frequenter ſanctis cogitationibus phantaſiæ ſuæ imprimeret imaginem & ideam, ſecundum quam ad vivum depingere vellet ſuum amorem, ſuum dilectum pendentem in cruce; in viva quadam mentis repræſentatione, videre ſibi viſus eſt Chriſtum D. prout in cruce in monte Calvariæ pependit, divinam præcipuè faciem ſanguine plenam, triſtes oculos, laceratas genas, & hiantia in pedibus, in manibus, totoque corpore Vulnera: neque tandem videre illa ſibi viſus fuit, ſed tangere quoque, atque amplexari. Ingenti repletus fuit ſolatio, cum ſenſit Chriſtum D. de cruce, tranſire in cor ſuum, capereque ibi ſedem & habitationem. Nos modò hic coram crucifixo, & Venerabili Sacramento congregati ſumus, ut recitatione Roſarii quinque SS. Vulnerum petamus ſanctam mortem. Sto in hac cathedra, ut prius ignem mittam in corda veſtra, ut vos moveam ad ferventem orationem, itaque hoc cupio, ut prius ſitis excellentes pictores. cupio ut prius cogitetis, & phantaſiæ veſtræ fortiter imprimatis ideam, ſecundum quam, crucifixum in cordibus veſtris vultis depingere; id eſt, in viva quadam mentis imagine, cogitate vos videre Chriſtum pendentem in cruce: cogitate cum tenerrima compaſſione, cum dolore contriti cordis, vos videre jam faciem, jam oculos, jam genas: ſub prima & ſecunda decade Roſarii, cogitate vos videre, palpare Vulnera pedum; ſub tertia & quarta decade Vulnera manuum; in fine Roſarii conjicite veſtros oculos in hians Vulnus aperti pectoris, & cordis; cogitate inde animam expirantis Jeſu intrare in corda veſtra, ut ibi quieſcat, & ſepeliatur. Hoc ſpeculum accendet ignem in cordibus veſtris; hoc volo! §. 2. *Idea Chriſti pendentis in cruce, in viſione objecta fuit Dominico de Cunha pictori.*

Cum idem Dominicus ferventer oraret coram imagine crucifixi, ſæpius de cœlo audivit hanc vocem: Age, perge de ſolatio in ſolatium, teque conjunge ſanguini Chriſti Salvatoris. Ex quo ſpirituali contactu, deinceps cordi ipſius quaſi adhæſit, con- §. 3. *Iuſſus fuit à Chriſto D. conjungere ſe ſanguini crucifixi.*

ſit, continua, ſuavis,& dulcis memoria præſentis Jeſu crucifixi: cum continuis ſcintillulis & flammulis amoris, quo Dominicus flagrabat erga ſuum dilectum. Gratulor meis ſodalibus; mox ſub recitatione Roſarii pergent de ſolatio, in ſolatium. Solatium invenietis in SS. Vulneribus pedum; majus, in vulneratis manibus, maximam conſolationem reperietis in ſuaviſſimo corde crucifixi: ut ſimul ſub oratione inter hæc ſolatia ardeatis, conjungite vos prius ſanguini Chriſti: ſub prima & ſecunda decade, conjungite vos ſanguini, qui in cruce fluxit ex SS. pedibus, deinde conjungite vos ſanguini manuum; cum inflammatis ſuſpiriis conjungite vos ſanguini, qui ſtillavit ex dulciſſimo corde dilecti veſtri. Hic ſanguis, non tantum lavat, ſed etiam accendit.

§. 4. *Qui Chriſtum crucifixum pro ſe habet, non habet, quod timeat.*

Alias in amœno horto orans coram crucifixo, ſenſit Dominicus, ſe vi divini amoris, non anima tantum & ignitis deſideriis, ſed etiam corpore elevari in altum, & affigi cruci cum Chriſto, cum acri dolore in manibus & pedibus, quaſi perſentiſceret penetrantes clavos; tum quoque hanc audivit vocem. Qui Deum habet apud ſe, & pro ſe, nihil eſt, quod vereatur Congregatio hæc, cujus ſumus membra, nihil aliud eſt, quàm quidam paradiſus & hortus, in quo mox coram crucifixo orabimus Roſarium SS. Vulnerum pro obtinenda felici morte. Utinam prius quædam vis ardentis amoris nos elevet in altum, ut cum Chriſto, ſaltem animo & piis cogitationibus affigamur cum Chriſto, cruci; Utinam & nos prius ſaltem in cordibus noſtris intenſum ſentiamus dolorem! utinam clavi crucis nos quoque vulnerent & ſaucient, ut nobiſcum & pro nobis ſit Deus! O mi amantiſſime Jeſu, has gratias petimus; ideo orabimus Roſarium, ut in noſtro agone ſis nobiſcum. Mi Jeſu! per anguſtias tuæ mortis; per tua Vulnera, mane tum nobiſcum. O Mater triſtiſſima; per mortem Filii tui obſecramus, imperra nobis hanc gratiam, ut in ultima lucta Filius tuus Jeſus ſit nobiſcum, & pro nobis.

§ 5. *Crucifixus dignatus*

Reſtat favor ingens crucifixi, erga ſuum amatorem Dominicum: precioſa & ſuavis hujus fuit occupatio, multis horis orare

orare coram sanctissimo sacramento. Aliquando, O suavem visionem! O ingentem favorem; vidit Christum D. ex SS.Hostia sibi prodire obviam, sensitque illum ruere in suos amplexus; sensit cor suum conjungi & colligari cordi Jesu, sensit utrumque cor, veluti in clibano amoris distillari, & liquefieri in unum. Et quia paulò ante ex amore crucis in arduo objecto heroicè se vicerat, Christus D. ipsi dixit: Accipe hanc consolationem pro illa mortificatione. Congregationis hujus consuetudo est, ut saltem semel in mense coram sacros. Sacramento unam horam impendant orationi Rosarii. Sodales amantissimi! orate ferventer, ecce Christum D. de cruce, vel ex sacros. Sacramento in nostros ruit amplexus; ecce, offert Vulnera, ut illa exosculemur; cor crucifixi clibanus est, ut in illo corda nostra distillentur in unum cum corde Dilecti nostri. Pergite, orate devote; pro recitatione hujus Rosarii, hanc nobis donabit gratiam, & consolationem, ut aliquando moriamur sancte. (Potest continuari suavis affectus.) *fuit Dominicum amplexari.*



EXHORTATIO III.

MENSE MARTIO.

Tertium Igneum Speculum, Sudarium S. Veronicæ.

Respice in faciem Christi tui.

Ps.83. v.10.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Adhortatio S. Theresiæ ad Religiosum Agonizantem.*

§. 2. *Requirit peculiarē devotionem erga sudarium S. Veronicæ.*

§. 3. *In itinere ad crucem & mortem Christus D. illud nobis reliquit in sui memoriam.*
§. 4. *Strophiolum Chlotildis.*
§. 5. *Strophiolum madidum lacrymis agonizanti fœminæ magno fuit solatio.*

§. 1. *Adhortatio S. Theresiæ ad Religiosum Agonizantem.*

CUm olim Seraphica S. Theresia, advertit aliquem Religiosum sui Ordinis in agone graviter tentari, cum illum vidit comprehensum inter angustias mortis; his fere verbis illum fuit allocuta: *Scio fili te in vita semper fuisse devotum plerisque mysteriis Passionis, sed præcipuè Bajulationi crucis; scio qua* devotione colueris profundum, latum, ingens & cruentum illud vulnus, quod pondus & agitatio crucis impressit humero Salvatoris usque ad ipsa ossa; scio te frequenter devotis oculis aspexisse vulneratam faciem, quam Christus Dominus in sudario S. Veronicæ reliquit. Fili jam in agone, respice illam faciem; fili, si diabolus te tentat, si horres mortem, si tremis in introitu æternitatis, jam recordare illius Vulneris, jam memento crucis & dolorum quos tuus Salvator pro te pertulit in crucis bajulatione. Revixit quasi moribundus ad hæc verba, & plenus cœlestibus solatiis animam suam tradidit manibus Salvatoris.

§. 2. *Requirit peculiarem devotionem erga sudarium S. Veronicæ.*

Scio, sodales amantissimi, quàm sitis devoti diversis mysteriis Passionis; hac exhortatione desidero, ut devotionem peculiarem concipiatis erga illud, quod apparatus altaris oculis vestris proponit, erga bajulationem crucis & præsertim cruentam faciem in sudario S. Veronicæ. Aspectu hujus faciei, veluti igneo speculo, cupio accendere vestros affectus, & orationem qua mox petemus felicem mortem. Paucis diebus ante Parasceven in urbe Jerosolyma non erat sermo nisi de signis, quæ faciebat Jesus, & præsertim de illo triumpho, quo hodierno die Palmarum inductus fuit in urbem: cum die Parasceves mane increbuit rumor, illum magnum Prophetam educi in montem Calvariæ ut crucifigatur, tota urbs concurrit; quivis voluit esse spectator. Inter matronas pias etiam exiit in plateas S. Veronica, quæ dum in angulo plateæ intuita fuit

fuit caput Christi, coronatum spinis, faciem plenam vulneribus, sanguine, sputis, lacrymis, ex impulsu spiritus S. penetravit cuneum militum, & mundissimo linteo abstersit faciem ejus. Meditantur SS. Patres, Christum Dominum suavissimo aspectu, & inclinatione capitis sub pondere crucis Veronicæ egisse gratias. Non inhæreo modo illis motibus & affectibus, in quos piissima Matrona erupit, cum in linteo vidit vivis coloribus, sanguine, lacrymis, sputis depictam imaginem Salvatoris. Meæ intentioni, sive desiderio peculiaris devotionis, in me & vobis, erga sudarium Veronicæ, huic inquam intentioni servit, ut brevissimè vobis proponam aliquas causas ob quas Christus Dominus in sudario Veronicæ imaginem suæ faciei nobis reliquerit: suggerent illæ nobis aureas praxes, quibus animæ sanctæ se præparant ad sanctam mortem.

§. 1. In itinere ad crucem & mortem illud nobis reliquit hoc strophiolum in sui memoriam.

1. Cum subinde sponsus, à dilecta sponsa ob necessarium iter ad tempus avellitur; dum inter lacrymas & suspiria illi valedicit, solet illi dono offerre, depictam faciei suæ imaginem, ut in illa veluti speculo, sponsa suum sponsum quotidie intueatur, ne sponsi obliviscatur. Tales imagines sponsæ solent suspendere de collo, ante pectus, ut oculis continuo obversetur tam dulcis imago. Et mi Domine Jesu in hac bajulatione crucis (utar ferè verbis Cassiani de Medit. Pass.) *quo vadis? quo proficisceris, aridi ligni pondere prægravatus? quo portas? ad quid portas? ubi plantabis illud? locus in quem duceris, saxosus est, quomodo plantabis? quis irrigabit? Mi Jesu, sic deseris dilectam sponsam? Filiæ Sion*: ad tempus cogitur nos deserere; vadit ad montem Calvariæ, ut ibi plantet lignum vitæ; rigabit suo sanguine: vadit ut exeat ex hoc mundo ad Patrem: longum & difficile iter; sed O amabilem sponsum! ecce Veronicæ & nobis omnibus in strophiolo relinquit sui imaginem, qualis tum fuit, percussa, vulnerata, saucia, plena sanguine, ut optimi sponsi nostri nunquam obliviscamur. Speculum nobis esse debet illa facies, ut accendat affectus nostri amoris, dies noctesque; sed præsertim sub

oratione ut ardens & fervens illa ſit, oportet hoc ſpeculum inſpicere.

§. 4. *Strophiolum Chlotildis.* 2. Chlotildis Filia primi Chriſtiani Regis in Gallia, Clodovæi, deſponſata fuit Gothorum Regi Ethnico, Amalerico. ex odio fidei Chriſtianæ, quam in conjuge oderat impius Rex, juſſis illam includi carceri & frequentiſſimè cædi flagellis, uſque ad ſanguinem. O afflictam Principem! nulli mortalium ad illum patebat acceſſus, ne fortaſſis per literas ſuo Parenti, potentiſſimo regi, deploratum ſuum ſtatum exponeret. Indulgentia cuſtodis contigit, ut unus ex ſervis Reginæ ad illius colloquium admiſſus fuerit, tum cum crudelia vulnera in regio corpore recenti ſtillarent ſanguine; hoc cruore Chlotildis tinxit ſuum ſtrophiolum, & famulo tradens dixit, Amice, miſerere afflictiſſimæ Reginæ, miſerere filiæ tui Regis! cum parenti ſcribere non liceat, ut intelligat, quantum patiar; vade, affer illi hoc ſtrophiolum, in hoc illud leget; hic ſanguis illi narrabit filiæ infortunium. Aſpectu ſanguinei hujus ſtrophioli, Clodovæus adeo fuit commotus, ut ingenti exercitu filiam ſuam ex carcere liberarit. Hoc fecit Rex regum in bajulatione crucis: tempus non fuit, ut Veronicæ narraret, quantum præterita nocte paſſus ſit. ut tamen ſciamus; ecce ſtrophiolum non ſanguine tantum tingit, ſed vivam faciei ſuæ imaginem illi impreſſit: hoc ſudarium nobis oſtendit ſigna alaparum, quas accepit; veſtigia colaphorum, quibus cæſus eſt. Videmus in illo ſputa, quibus conſputus eſt. Spinas quibus coronatum eſt caput: videmus laceras genas, tumida labia, oculos plenos lacrymis & ſanguine: ah filiæ Sion! cum jam orabitis Roſarium, inſpicite hoc ſpeculum, orabitis ardentiſſime.

§. 5. *Strophiolum madidum lacrymis; agonizanti fœminæ magno fuit ſolatio.* 3. Solet etiam ſubinde ſponſus, ingreſſurus longum iter, ſuæ dilectæ relinquere ſtrophiolum madidum multis lacrymis; idem plane fecit ſponſus animarum noſtrarum Chriſtus Jeſus: ſudarium ſuum recepit Veronica, non tantum cruentum ſanguine, ſed madidum tenerrimis lacrymis, quibus pleni erant oculi, & facies Chriſti D. cauſa, ob quam id fecit, meis ſodalibus magno debet eſſe ſolatio. Cum pia quædam fœmina in agone

agone coram tremendo Judice à diabolo acriter accusaretur, ob enormia quædam peccata, licet illa multis contriti cordis lacrymis, & rigida pœnitentia expiasset; & toto corpore inter angustias mortis tremeret, vidit tandem angelum custodem offerre CHRISTO Judici strophiolum, madidum adhuc calidis lacrymis, quas ex dolore de offenso summo bono sæpe effuderat; quod strophiolum postquam ab eodem angelo custode, lanci divinæ Justitiæ gravibus ex una parte peccatis, fuit oppositum; peccata nullius fuerunt ponderis, dæmonesque fugati sunt. Ægra, magno cum solatio expiravit. Longe majorem thesaurum Christus D. nobis reliquit, in sudario Veronicæ, ut ille aliquando in agone nostro nobis sit solatio; tantine valoris coram tremendo Judice sunt lacrymæ alicujus Magdalenæ plorantis ad pedes Christi, vel flentis alicujus Petri in antro pœnitentiæ? quanti valoris erunt lacrymæ, alapæ, colaphi quibus Jesus cæsus est; quanti meriti preciosus & divinus sanguis, cujus guttas in sudario Veronicæ nobis reliquit. O filiæ Sion, ita modo respicite in faciem Christi; illius intuitu ita accendite vestros affectus, contritionis, amoris; coram igneo hoc speculo, coram sanguinea hac facie, cum viva memoria tormentorum, quæ sponsus noster pro nobis, præsertim in sanctissima facie sustinuit, ita ardenter orate; ut aliquando quiete sanctam mortem obeatis.

EX-



EXHORTATIO IV.

MENSE APRILI.

Quartum igneum ſpeculum. Facies Chriſti Agonizantis, in monte Oliveti, ſudans ſanguinem.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.

Matt. 26. cap. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Facies Chriſti D. Agonizantis ſudans ſanguinem appellari poteſt ſpeculum.*

§. 2. *Varii ſenſus citati thematis, Triſtis eſt anima mea.*

§. 3. *Alia verborum illorum explicatio.*

§. 4. *Chriſtus D. in monte Oliveti ſub oratione fuit ſimilis homini agonizanti.*

§. 5. *Chriſtus D. agonizans expreſſit imaginem timoris, triſtitia, &c. quam ſuſtinebimus in agone.*

§. 6. *Chriſtus D. agonizans nos docet orationem.*

§. 7. *Quomodo oraverit.*

§. 1. *Facies Chriſti agonizantis, ſudans ſanguinem appellari poteſt. ſpeculum.*

IN priori exhortatione oculis veſtris exhibui ſudarium S. Veronicæ, cui amabilis Jeſus in ſignum amoris, in bajulatione crucis, laceram, ſauciam & ſanguineam faciem ſuam impreſſit; Dixi, imaginem hanc piis animabus eſſe igneum quoddam ſpeculum, in quo dum intuentur quid Salvator noſter pro nobis paſſus ſit, ſuaviter accenduntur, ut illum ſponſum redament & ardenter orent. Meo judicio, hoc veſpere ardentius ſpeculum proponere non poſſum quam faciem Chriſti in agonia ſudantem ſanguinem; in hoc ſpeculo *mentis oculo contemplamini* (ut utar verbis B. Laur. Iuſt.) *Redemptorem veſtrum,*

Regem-

Regemque cælorum, Orantem, paventem, tristem, mæstum, agonizantem, sanguine sudantem, non tamen sine profluvio lacrymarum, id est, cum tenera compassione; Et hoc quoque igneum sanguineumque speculum, & corda vestra, & orationem vestram, hac hora congregationis agoniæ, suavissime accendet.

§. 2. *Varii sensus citati thematis, Tristis est anima mea &c.*

Lemma hujus speculi hac exhortatione erunt verba Christi, quæ dixit ad discipulos. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Tristis est anima ejus, id est; *Est in laboribus* Psal. 87. secundum aliam lectionem, *In doloribus.* dicamus ex Genesi, *in sudore vultus*, sed sanguineo. sive ex S. Bernard. *Est jam in cruce, in pœna, in amaritudine, in angustia*; In tremore cordis & totius corporis ob timorem, quo obrutus est, ob pavorem; S. Eustachius M. in ingenti afflictione, cum vidit à leone rapi sibi filium dixit, *Medium cor meum tetigit dolor.* Hoc vespere Jesu occurrit terribilis Mors, jam est in via terribilis cito gradu; Medium cor ejus tetigit, dolor, tristitia &c. p. Medium benignissimi cordis est plenum angustiis. Cap. 4. v. 19. in gravi tristitia dixit Jeremias, *sensus cordis mei turbati sunt in me:* Christus D. ipse usus fuit hoc verbo, anima mea turbata est. Hoc vespere in agonia medium cordis turbatum est; (fiat p. inductio de sensibus, v. g. in oculis jam sunt virgæ &c. in auribus illæ voces, crucifige, sanguis ejus &c. in gustu, myrrha, fel, & acetum &c. Sed dolor acutissimus in medio cordis, in anima tristis est anima ejus.

§. 3. *Alia verborum illorum explicatio.*

Tristis est anima ejus, id est, ex mente Sophoniæ cap. 3. *dulcis Dominus Iesus versus est in amaritudinem.* Cor ejus *mutatum est in absynthium*, quæ est herba amarissima. Blosius ait, si quem Deus permitteret videre peccata sua, sicut ipse ea videt, mox præ dolore rumpendum cor illius, aut sensibus eundem destituendum, ubi aspiceret quanta injuria, & quanto contemptu affecerit creatorem, Redemptorem, Deum ac Dominum suum. Quas rupturas, quæ deliquia putamus fuisse in corde Christi, dum se vidit in conspectu Patris ex infinito amore & sua voluntate reum omnium scelerum quibus unquam læsa fuit divina Majestas, præsertim cum clarissimè intueretur, Quid sit

Deum offendi vel unico peccato mortali. Rupturæ, ſciſſuræ, deliquia fuerunt in medio cordis Jeſu: *cum ultro tantum ſibi aſſumpſerit dolorem cordis, ac ſi ipſe ea perpetraſſet.* Ad Gal. cap. 6. v. 14. ait S. Paulus. *Mihi autem abſit* &c. & quæ fuit illa crux? Reſp. S. Bern. ſer. 7. de quadr. Tanta proſpiciens flagitia & mala in mundo tam dirè cruciatur, & torquetur, ac ſi cruce & patibulo affixus eſſet. Applica p. Chriſto agonizanti.

§. 4. Chriſtus D. in monte Oliveti fuit ſimilis homini agonizanti.

Triſtis fuit anima Jeſu, id eſt Ore pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore protulit. Sive talis jacuit ſuper faciem in terra Oliveti, quales jacere ſolent agonizantes &c. In ſimeto ſuo dixit Job, c. 6. v. 3. & 4. *Verba mea dolore ſunt plena, quia ſagittæ Domini in me ſunt; quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Videte in ſanguineo ſpeculo Jeſum veſtrum Ag. An non verba ſunt plena dolore? an non ſagittæ &c. applica p. Hoc veſpere Divina Juſtitia, *collegit* (Job. c. 16. v. 10.) *furorem ſuum* in corde Jeſu, & *comminans illi*, per Judæos &c. *infremit contra eum dentibus ſuis; terribilibus oculis intuetur illum.* hinc ille dolor; ille timor, ille pavor &c. in anima & medio cordis Jeſu. Abulenſis. *Neceſſe fuit hanc imaginariam apprehenſionem in Chriſto* (ex una parte de malitia culpæ, ex altera, de gravitate pœnæ à ſe ſuſtinendæ, de virgis, de ſpinis &c.) *fuiſſe ſuper cæteras curarum moles, inæſtimabiliter afflictivam, ita ut nihil unquam quantumvis horridum, atq; tremendum aliorum hominum imaginatione comprehenſum, huic poterit adæquari.* ſine miraculo in his cogitationibus vivere non potuiſſet. hinc tandem agonia, ſudor copioſus, & illo deficiente, tandem ſudor ſanguineus. Non patitur tempus, ut hæc latius modo deſcribam, Inſpicite ſpeculum, ſanguineam Jeſu agonizantis faciem, & facile agnoſcetis, quam triſtis, quàm pœnoſa fuit agonia Chriſti.

§. 5. Chriſtus agonizans expreſſit imaginem ti moris triſtis ia &c.

Sed hoc præcipuè hoc veſpere oculos noſtros reflectamus S. Greg. *Mentis noſtræ certamen* (in hoc ſpeculo) *expreſſit, & imaginem quandam, terroris & formidinis, quam patiemur, cum per ſolutionem carnis æterno Iudici propinquabimus:* Fuit Jeſus in laboribus in doloribus, ſudore quaſi in cruce, in pœna, in amaritudine,

tudine, in angustia. Hæc contingunt agonizantibus; agonia nostra aliquando erit gravis crux. Medium cordis Jesu tetigit dolor; hoc fit agonizantibus. Anima Jesu fuit turbata! O turbationes agonizantium, præsertim impiorum! In corde Jesu, fuit absynthium; amarissimam hanc herbam omnes aliquando gustabimus. In agone agnoscemus nostra scelera &c. Audimus quotidie quo dolore, quo timore, &c. plena sint verba agonizantium, qui terrores contra illos militent, varia signa externa ostendunt, quæ sagittæ hæreant in corde &c. Quid ergo faciemus.

quam sustinebimus in agone.


§. 6. *Christus D. agonizans nos docet orationem.*

In igneo & sang. speculo sudantis sanguine Jesu, intuemini Orantem; timet, sed orat; pavit, sed orat! tremit gemit, simul orat (hoc modo fiat p. inductio) Irruit in illum pavor! orat; agonizat, Orat &c. Si efficacius medium esset obtinendi S. mortem Christus D. nos docuisset. O felices, meos sodales! qui &c. S. Thomas. *Oravit, ut daret nobis exemplum, ut in tribulatione recurramus ad Dominum* in omni tribulatione, quanto magis in tribulatione, quæ in agone nos obruet; & quidem dum orare possumus. S. Bonav. in c. 22. v. 40, S. Lucæ. *Dominus solicite* (breviter ponit modum, quo hoc vespere in monte Oliveti Jesus oravit) *orabat, & ad orationem discipulos solicitabat, ut doceret solicite orandum* (p. modo quo Christus oravit) *propter imminentia pericula.* Omnes dicere possumus cum sancto rege Josaphat 2. Paral. 20. v. 11. *Deus noster! -- in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* sive ut ardenter oremus. Nam, ut S. Laur. Justin. quærit, de triumph. Christi agone c. 6. *Validioribusne, quàm Christus succinctus es armis? Nunquid tu Christo fortior, aut Salvatore constantior? Ille in agone constitutus ad orationis solatium reclinavit, tu absque oratione -- mori cogitas?*

§ 7. *Quomodo oraverit.*

De oratione Christi in horto ait Dion. Carth. *Preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens,* dico enim, (S. Thomas) neces-

ſaria ſunt oranti, fervens affectio; item dolor & gemitus. Chriſtus autem iſta duo habuit, ideo propter primum dicit, cum clamore valido. Secundum cum dicit, cum lacrymis; & exauditus eſt pro reverentia ſua. Sic oremus & exaudiemur. Neque hanc materiam in brevi exhortatione proſequi poſſum; moneo tantum, ferventer nobis eſſe orandum, præſertim modo &c. ut ardenter fiat, inſpiciamus Igneum ſpeculum, inſpiciamus faciem ſanguineam Jeſu. Jeſu pietatis nomen eſt, in hoc nomine pietatis (Albertus M.) dulceſcit oratio, & fiducia datur impetrandi. Spero ſtatim orationem Roſarii fore dulcem in nomine Jeſu, in memoria ſanguinei ſudoris &c. Gilb. Abbas; ſi tibi fortaſſis initio ſicca & ſaxea videatur, oleum tamen gratiarum elicies de hoc ſaxo duriſſimo, tantum ſi perſeveres (fiat p. Epilogus) percutiamus Vulnera Chriſti &c.



EXHORTATIO V.

MENSE MAJO.

Quintum Igneum Speculum. Crucifixus, ſuis amatoribus promittens aſſiſtentiam in morte.

Ignem veni mittere in terram, quid volo, niſi ut accendatur.

Luc. 12. cap. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Optat auctor, ut exhortatio hæc ſit ſcintilla diſcurrens, aut ardens facula, aut ignis, accendens corda ſodalium.*

§. 2. *Crucifixus, eſt candida & rubicunda charta, ut illi inſcribamus noſtras petitiones, præſertim illas, ut placeamus Deo, & ſan-*

& sancte moriamur.
§. 3. *Cœlestis visio de Christo D. B. Virgine & S. Ignatio, in qua Christus D. illi promisit, se fore Societati propitium.*
§. 4. *Talis quoque erit in agone, sodalibus sua Agonia in Cruce.*

AUdivi aliquãdo encomium celebris concionatoris, de quo dictum fuit ex Sap. c. 3. quod in arundinetis, sive per pagos, oppida, urbes discurrerit veluti scintilla; nam quemadmodum ignis arundines, sic ipse suo ardore dicendi inflammavit corda hominum, igne divini amoris. Adverto ego me esse in amœnissimo horto sanctissimæ hujus congregationis; nisi malitis ut dicam nos cogitationibus saltem, & desideriis, versari vel in horto Gethsemani, in quo Christus Salvator noster in agonia mortis, sanguinem sudavit, vel in colle Calvariæ, in quo pendens in cruce pro nobis mortuus est: in quibus hortis? in quo monte? sodales mei esse cupiunt, an desideratis esse rosæ, resperſæ precioso sanguine crucifixi? an lilia, candida ab ejus lacrymis? An palmites alligati palo SS. Crucis? Itane mei sodales? vos estis rosæ, lilia, violæ, palmites? quid si aliqui sint arundines agitatæ vento vanitatis? utinam itaque præsens mea exhortatio sit plena scintillis! utinam sermo meus sit ignitus, utinam ardeat, ut facula, ut discurrat per hoc templum, per omnes angulos, per has rosas, per hos flores, per has arbores, per corda vestra! utinam penetret animas vestras, ut omnes accendat flamma amoris erga Jesum crucifixum. Ideo huc veni, ut hunc ignem accendam, ut obtineam, ut ferventi oratione ab eodem peramus sanctam mortem. In eundem finem, iterum oculis vestris proponam, ignita aliqua specula ardenter amantium crucifixum, & ferventer orantium.

§. 1. Optat auctor, ut exhortatio hæc fit scintilla discurrens, aut ardens facula, aut ignis, accendens corda sodalium.

Fuit Vallisoleti in Hispania ardens amator crucifixi, cui Christus Dominus cum ferventer oraret, apparens in throno suæ Majestatis, porrexit candidissimam chartam, jussitque in illa scribere, quascunque vellet petitiones, juxta promissionem Christi dudum factam, Joan. 16. v 24. *Petite & accipietis*; Vir sanctus inter alia petiit hæc duo; gratiam, ut semper

§ 2. Crucifixus est candida & rubicunda charta, ut illi inscribamus nostras peti-

tiones, præsertim illas, ut placeamus Deo, & sanctè moriamur.

semper id faceret, quod placeret Deo; denique, sanctè moreretur. Annuit Christus, & loco subscriptionis in illa charta apparuere scripta hæc verba: *Iesus Christus, Deus & verus Homo.* Eadem scedula à Christo D. tradita fuit angelo custodi asservanda in horam mortis, pro ingenti consolatione morientis clientis. Cum hæc legerem, mihi incidit, quod sæpius legi in SS. Patribus; sanctissimam Christi Humanitatem, & benedicta membra divini corporis, quale illud pependit in cruce, vocari divinam chartam, in qua D. Justitia scripsit characteres; calami fuerunt flagella, fustes, spinæ, clavi; atramentum, sputa, sanguis, lacrymæ; quibus legere possumus, quàm atrox malum sit malitia peccati mortalis, quod in divino corpore, D. Justitia ita castigavit. Alii dicunt eosdem esse characteres, quos in illa charta in divino corpore cœlestis scripsit amor, ut legere possimus, quantum nos amarit Jesus Christus Deus & verus Homo. Ego modo dico crucifixum esse candidissimam & divinam chartam, ut in illa nos scribamus desideria & petitiones cordis. Calami non desunt, ecce spinas in capite, clavos in manibus & pedibus, lanceam in benedicto corde. Neque deest atramentum; ecce divinum sanguinem, qui ex Vulneribus fluit Salvatoris. Permittite mihi ut ego sim vester scriba; hæc scribam: Mi Jesu mox volumus orare Rosarium SS. Vuln. ut tibi placeamus. execramur omnia peccata, dolemus de præteritis, non peccabimus amplius; ut tibi placeamus. Amamus te, ut tibi placeamus. Hanc gratiam petimus; in omnibus tibi placere, & cum hora nostra advenerit, sanctè mori! Adverto, Christus D. annuit nostris postulatis; Si Syngrapham vultis? ecce sanctissimum sacramentum Altaris; Si scripta verba nobis sunt solatio, Christus Jesus, Deus & verus homo; quantò magis spem nostram erigere, & caritatem inflammare debet, quod in Altari realiter nobis præsens sit, cui placere volumus, & qui mortem sanctam nobis potest concedere, imò quod cibus & potus noster esse velit. Amemus ardenter crucifixum, præsertim in communione, & quoties oculis coram cernimus SS. Sacramentum, oremus ferventer rosarium SS. Vulnerum, ut Christo placea-

placeamus; ſic ſanctè moriemur. Mi Jeſu! ſi benedictum quoque cor tuum, eſt Divina charta, partim candida, partim rubicunda, ſi eſt aureus liber vitæ; unica guttula tui ſanguinis, meum & meorum ſodalium nomina inſcribe. nos cordibus noſtris inſcribemus Jeſus crucifixus, Deus & verus Homo, in quem credimus, in quem ſperamus, quem amamus ex toto corde, à quo petimus felicem & ſanctam mortem.

§.3. *Cœleſtis viſio de Chriſto D. B. Virgine & S. Ignatio. cur Chriſtus promiſit, ſe ſocietati fore propitium.*

Recentiores quidam libri referunt amabilem quandam viſionem, in qua vir Religioſus vidit ſedentem Chriſtum D. in pulcerrimo throno, amœniſſima facie & rutilantibus præcipuè quinque cicatricibus ſanctiſſimorum Vulnerum; ad latus dexterum ſpectabilem ſe præbuit B. Virgo in aurea & gemmea veſte; ad ſcabellum throni vidit flectentem S. Ignatium, qui Chriſto D. & Beatiſſimæ ejus Matri ſuam Societatem enixe commendavit, & duo inſtanter poſtulavit, pro ſuo cœtu, Fragrantiſſimum Dei amorem, & ardentem zelum animarum. Reſpondit illi Chriſtus D. ore amabili, ſe Societatem ſuam gerere in corde ſuo, foreque illi propitium. Inſinuo tantum, S. Ignatium, dum viveret, fuiſſe ignitiſſimum ſpeculum in ardenti amore erga crucifixum; proinde & hic me monet atque docet, quid pro me & pro meis Auditoribus à Chriſto D. petere debeam.

§. 4 *Talis erit in agone ſodalibus ſua agonia in cruce.*

Accidentia SS. Hoſtiæ, ſodales cariſſimi, quam coram cernitis, quam profunda reverentia & ſubmiſſione adoratis, non ſunt aliud quam quædam ſedes, quidam thronus. thronus aureus, vallatus liliis, circumdatus cœleſtibus leonibus ſive angelorum turmis, in quo nobis præſens adeſt, realiter, perſonaliter Chriſtus Jeſus Filius Dei. Oculis fidei cernere poſſumus, quàm luceant, quàm radient, quinque illa SS. Vulnera, in manibus, in pedibus, in diviniſſimo corde; S. Hoſtia eſt ſimul thronus gratiarum & miſericordiæ, in quo nobis coram adeſt liberaliſſimus Jeſus, ut preces noſtras exaudiat, dummodo ferventer oremus & poſtulemus. Omnino mi Jeſu! ideo hic congregati ſunt mei ſodales, ideo mox ruemus in genua, ſtatim orabimus Roſarium SS. Vulnerum ut hæc duo petamus. 1. ardentiſ-

dentissimum Jesu Christi crucifixi amorem, pro nobis, & aliis sodalibus, imo pro omnibus qui in terris vivunt. 2. illam gratiam ut in hoc amore perseveremus, ut in hoc amore moriamur & expiremus sanctè! hoc agite, sodales; ego interim etiam ruam ad genua Jesu. ego meos sodales & totam hanc congregationem illi offeram, fervore quo potero. Sic suspirabo: Mi Jesu, bone Jesu, exaudi has preces tuorum sodalium. ecce orant, & ferventer orant &c. Fallor? an videre mihi videor quomodo meus Jesus meis precibus annuat? non fallor. annuit; Majora video! O felices meos sodales; in pectore suo, in corde suo vos gestat Christus crucifixus. in illo, veluti aureo libro vitæ, inscripta sunt nomina vestra. Majora & certa vobis promitto; semper, sed potissimum in agone, propitius vobis erit Jesus crucifixus! pergite, suspirate, orate ferventer.



EXHORTATIO VI.

MENSE JUNIO.

Sextum igneum speculum. Christus Crucifixus, solatium morientium.

Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur.
Luc. 12. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *B. Virgo Concionatoribus suggerit ferventes conciones.*

§. 2. *Igneum speculum, sive ardens amator crucifixi, Franciscus Comenus, laudatur in quatuor punctis.*

§. 3. *Idem solitus fuit, à Christo crucifixo, ardentibus precibus petere veniam peccatorum.*

§. 4. *Verba Christi ad illum de cruce.*

§. 5. Cru-

§. 5. *Crucifixus solatium morientium.*
§. 6. *Vox cælestis de cælo ad Franciscum Comenum, de Crucifixo; plena solatio.*

DE zelosissimo concionatore, P. Martino Guttierez è Societate Jesu, refert historia vitæ, quod, cum in quadragesima ferventer impios hortari vellet ad pœnitentiam, rem omnem deposuerit in manus B. Virginis, petendo cum ardentibus precibus, ut ipsa sibi suggereret illa, quæ dicenda forent; tum mirificè se robustum sensit, & fortem ad flectendas gravissimorum peccatorum animas, & durissima corda emollienda. Non puto mihi hac exhortatione rem fore cum similibus saxis; pios Auditores, quales vos omnes esse puto, cupio magis adhuc inflammare flammis, amoris erga Christum crucifixum; meos sodales cupio adhortari ad ferventem orationem pro felici morte; nihilominus fateor, rem totam ante deposui in manus afflictissimæ Matris, stantis sub cruce; coram ejus imagine hanc exhortationem, quam dicturus sum, composui & scripsi; non semel; sed sæpe tristibus oculis aspexi afflictissimam Virginem; non semel, sed sæpe suspiravi, ad tristissimum ejus cor; & tibi, O Mater misericordiæ, ascribo, quod sentiam cor meum inflammari, & quod advertam meos sodales paratos esse, ut iterum aspiciant ignea specula ardenter amantium Christum crucifixum, ut ab illis & ipsi accendantur; ut simul omnes ardenter amemus crucifixum, & & per ipsius agoniam ferventi oratione petamus sanctam mortem.

§. 1. B. Virgo Concionatoribus suggerit ferventes conciones.

Igneum speculum, sive ardens amator crucifixi fuit Franciscus Comenus Coadjutor è Soc. cujus vita his titulis eum laudat. 1. Tanta voluptate deditus fuit orationi, præsertim meditationi Passionis Christi, illis de cœlo sub oratione solatiis fuit perfusus & delibutus, ut quoties oraret, videretur sibi esse in aliquo Paradiso. 2. Inter labores sui officii, continuo cum Deo miscuit, *inflammatos sermones.* 3. Dolores pro Christo erant illi suavissimi; cum aliquid pateretur, videbatur sibi jacere in

§. 2. Igneum speculum sive ardens amator crucifixi. Franciscus Comenus, laudatur in quatuor punctis.

re in lectulo rosarum. 4. ait historia vitæ, quod toto pectore arserit amore Dei. Quam suaves & pias cogitationes mihi suggerunt hæc encomia de nostra congregatione agoniæ: ecquid enim illa est, nisi quidam locus voluptatis, in quo sodales tantis solatiis peragunt suas orationes in honorem Passionis pro obtinenda felici morte: vos cupio esse testes, sodales mei amantissimi, an non vobis bene sit, dum devote, dum ferventer oratis Rosarium, quinque Vulnerum: in conspectu Christi Salvatoris in SS. Sacramento, cujus præsentia Paradisum facit in terris: præsertim cum in illo, non loquamur nisi lingua Seraphinorum, & non proferamus nisi inflammatos sermones ad Christum crucifixum. Lectuli rosarum non desunt; tales lectuli sunt rosea quinque Vulnera, dulcissimum præsertim cor Jesu, quid mirum si hoc loco inter inflammatos preces toto pectore ardeamus amore crucifixi.

§. 3. *Idem solitum fuit, à Christo crucifixo petere veniam peccatorum*

Quinto loco vita hujus fratris hoc narrat; cum aliquando sentiret se turbatum & inquietum, adverteretque causam esse, timorem mortis, ob commissa peccata præterita, quæ sola hominem faciunt infeliciter mori; magna animi demissione, cum ingenti dolore cordis, se abjecit ad pedes crucifixi, peccatorumque veniam inflammatis precibus & cum lacrymis ab eo petiit. forte corde contrito & humiliato cum Davide dixit ex ps. 50. *Miserere &c.* fortassis ingemuit cum filio prodigo, Pater peccavi &c. fortassis serias addidit obtestationes, mi Jesu, per tua vulnera &c. miserere mei; per tuum sanguinem N.N. Propitius esto mihi peccatori. Hæc est illa lingua Seraphica, qua amatores crucifixi loqui solent; hi sunt isti inflammati sermones inter contritum peccatorem, sive animam pœnitentem, & Christum Redemptorem. Ni fallor, vos amantissimi sodales, dum hæc auditis, intus in corde eadem lingua loquimini; ni fallor, ex timore mortis, eadem dicitis, sermone inflammato, cum Davide, miserere Deus &c. sic pergite, pias addite obtestationes, Jesu per tuam agoniam &c. Talis sermo, tales preces, benevolam à Christo Judice obtinent sententiam.

Nam,

Nam, eidem Francisco, oranti, Christus D. de cruce aliquando dignatus fuit, his verbis respondere: sodales! audite aliquid, quod cœlesti vos afficiet solatio; audite aliquid, quod spem vestram & fiduciam, roborabit: audite pauca verba ex ore crucifixi, quæ vestrum in illum amorem, & preces vestras cœlestibus scintillis inflammabunt. Tristi Francisco Christus dixit; *Francisce, & cur ego cruci huic affigi me volui, nisi ut te amarem, & tibi ignoscerem.* O mi Deus; vere! licet lingua tua potata sit felle, tamen mel & lac, est sub & in illa: labia tua, licet pallida colore mortis, distillant tamen myrrham probatissimam. Et vos mei sodales, quid timetis? cur non audacter ad ejus pedes vos abjicitis; accedite, petite remissionem etiam gravissimorum peccatorum: petite sanctam mortem, ideo affigi voluit cruci, ideo trihorio in illa pependit &c. quia vos amat, & quia vult ignoscere. Ideo ipse sustinuit angustias mortis, ut in nostro agone, nobis aliquando sit bene.

§. 4. *Verba Christi ad illum de cruce.*

Alias Christus crucifixus hanc quoque gratiam præstitit Francisco; in gravi morbo, gravique desolatione & ariditate cordis, momento illi abstulit omnes dolores, & admirabili quodam implevit solatio. Hoc puto vos desiderare, ut aliquando inter dolores & angustias mortis ille vobis adsit, ut mitiget dolores, ut vos consoletur. Amate ad hunc finem Christum crucifixum, talia ardenter ab illo petite, & exaudiet preces nostras. Idem Franciscus solitus fuit quotidie Christum D. visitare quinquies in sanctissimo sacramento altaris: ad obtinendam sanctam mortem. Tantum non exigo à vobis mei sodales sed ut singulis mensibus semel ad hunc finem in congregatione coram crucifixo & sanctiss. Sacramento recitetis devotè quinque decades Rosarii, in honorem quinque Vulnerum.

§. 5. *Crucifixus, solatium morientium: oremus frequenter Rosarium quinque Vulnerum, ut tum nobis adsit.*

Sed cogor imponere finem exhortationi, puncto pulcro de eodem Francisco. Per biennium in orando nihil suavitatis perceperat, & ecce! (Sodales mei, cogitate vos videre imaginem, in qua depingi solet cœlestis Pater & ad dexteram Christus Salvator noster monstrans æterno Patri cicatrices suorum Vulnerum) cum Franciscus coram tali imagine ferventissimas funde-

§ 6. *Vox cœlestis de cœlo ad Franciscum Comenum de Christi Vulneribus; plena solatio.*

funderet preces, dulcissimam in corde vocem audivit, quæ ajebat: *Hujus causa, quem vides, tua tibi æternus Pater peccata ignoscit*, & inde illi suavissimæ in animo coortæ deliciæ, diebus plurimis duravere. Si deliciarum harum participes esse vultis; oculos erigite in arborem sacros. Crucis; Videtis Vulnera pedum? eja orate ferventer duas primas decades; amate Christum crucifixum. Hujus causa, qui pro nobis sacrosanctos pedes cruci affigi voluit, æternus Pater libenter ignoscet omnia peccata, & sanctam concedet mortem. Altius oculos erigite; aspicite hiantia Vulnera manuum, aspicite horrendos in illis clavos, considerate quæ propter illos Salvator noster passus sit tormenta. cum dolore, cum amore, cum tenera compassione, cum piis lacrymis recitate tertiam & quartam decadem; hujus causa qui illa passus est, propter sacros. illa Vulnera &c. cœlestis Pater ignoscet nobis omnia peccata. In honorem Vulneris sanctissimi lateris & benedicti cordis, in honorem defluentis sanguinis, pari devotione orate decadem 5. denique ter Pater in memoriam trihorii crucis & angustiarum mortis; hujus causa &c. piissimus Pater omnia dimittet debita. Hoc ferventer volumus petere.



EXHORTATIO VII

MENSE JULIO.

Septimum Igneum Speculum. SS. Trinitas.

Ignem veni mittere in terram, quid volo, nisi ut accendatur.

Luc. 12. cap. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. P.

PAter Franciscus Strada ardens fuit concionator. Roganti alicui, unde illi esset ea dicendi vis; ingenuè respondit, sibi inter dicendum radium quendam & impulsum illabi cœlitus, quo totus præcordiis intimis moveretur. Parvam exhortationem, quam paravi, cupio dicere ardentissime; sed unde illa vis, ille ardor, illæ pectoris commotiones, illi cordis affectus, qui necessarii mihi sunt. Mi Jesu crucifixe! aliunde ignes non cupio, quam ex SS. tuis Vulneribus. O SS. Vulnera pedum, vestris radiis me illuminate & accendite! O rosea vulnera manuum, vestris ardoribus me inflammate! O igneum cor! O ardens sanguis tu me accende, his ardoribus indigeo, ut meis sodalibus proponam breviter, igneum speculum, ipsam SS. Trinitatem, ut in illo videant, quid sit sanctè mori, quid sit mors beatorum; ut ex hac cognitione discamus ita, idest, sanctè mori. *§. 1. Pater Fr. Strada ferventissimus concionator.*

Sic moritur justus: cum in ultimo jacet agone, dum luctatur cum diabolis & morte, Pater æternus qui illum prædestinavit, & ab æterno inscripsit libro vitæ, ut intentio hæc prædestinationis detur in tempore constituto, effectui, cum sit immutabilis, ut Deus, auget tum gratiam necessariam, providentia potenti & efficaci, qua infallibiliter salvabitur. Hæc assistentia Patris æterni, potentior est, quàm omnis potestas totius inferni! quid Satan contra illum poterit, qui habitat sub adjutorio altissimi, & aureo clypeo peculiaris providentiæ. *§. 2. Morientibus sanctè assistit Deus Pater.*

§. 3. *Et Deus Filius, Iesus Christus Salvator mundi.*

Sic moritur justus. Pathetice; cum est in agone, Christus Salvator mundi, videtur tum aperire omnia SS. Vulnera sua, ut effluat inde sanguis preciosus cum illis gratiis & mediis, quæ tali morienti ad salutem sunt necessaria. Ita plerumq; omnia disponit, ne sui electione sodales hujus congregationis ex hac vita discedant sine participatione SS. Sacramentorum, quorum efficacia & virtute facit, ne ullus pereat, quos dedit illi Pater. In illo agone filius Dei præcipuè est Jesus. in illo articulo est Pater, Amicus, dux, tutor, protector, defensor; verbo morienti electo est Jesus, sic moritur justus.

§. 4. *Et Spiritus Sanctus.*

Cum est in agone Spiritus S. animarum sanctarum sponsus, tum quoque adest peculiari assistentia, & præsentia quæ advertitur ex copiosis consolationibus, ex ardentibus suspiriis, ex amorosis colloquiis, cum Christo Salvatore, ac ferventibus actibus nobilissimarum virtutem, fidei, spei, caritatis, ex actibus cōtritionis, ex ignitis desideriis cœlestis patriæ; quæ omnia operatur consolator & Paracletus spiritus sanctus. Si forte contingat diabolum tali morienti proponere commissa peccata; spiritus sanctus illa occasione movet cor & speret magis in meritis Christi; ut magis doleat, ut ardentius amet & imploret suum Salvatorem. Si Satan alias adhibeat machinas tentationum; spiritus sanctus tum impellit morientem, constitutum in agone, in ultima tribulatione, ut eo majori pietate confugiat ad Vulnera sui Redemptoris. Cum insuper morientes internos affectus produnt signis externis; percutiendo pectus, oculos & manus elevando ad cœlum, amplexibus & osculis SS. Vulnerum, ignitis verbis ad Jesum; subinde inter angustias mortis, dulcissimis lacrymis; Dicite, sodales mei dilectissimi, talis mors nunquid dici debet, bona, sancta, beata? sub peculiari protectione, Patris, Filii & Spirit. S. & totius sanctissimæ Trinitatis.

§ 5. *Tali morte obiit P. Ioannes Falco, eximius*

Tali morte obiit Mogunt. anno 1626. P. Joan. Falco, cum per supremos dolores, & alia morbi incommoda, adeo ardenter quam cupiebat (quia tota vita fuerat ardens amator Jesu cru crucifixi) in Deum effundere se non posset, plenus fiducia dulciore

ciore, ita sanctissimam Trinitatem fuit allocutus: *Tu scis SSS. Trinitas! quomodo nil aliud in vita mea quæsierim, quam ut amorem tuum omnibus hominibus imprimerem: quæ hunc in finem excogitarim media, quos labores subierim, tu nosti optime! Quando igitur id agere modo non possum per infirmitatem, suscipe voluntatem meam.* Voluntatem meam, qua te mi Jesu, unum cupio amare. Voluntatem meam, qua tibi cupio agere gratias, & hoc agone meo pro omnibus beneficiis &c. Mi Jesu! Voluntas nostra est, ut te ardentissimè diligamus. Suscipe (hoc modo urgeatur suavis affectus.) Sic in suprema lucta loqui, suspirare, solent cultores SS. Tr. & ardentes amatores Jesu crucifixi; advertitis, quid sit sanctè mori? Prope jam aberat pius pater à supremo vitæ actu, cum à SS. Trinitate, ad Jesu, Mariæ ac cœlestis Societatis memoriam conversus identidem repetebat. O me felicem ac beatum, si forsitan hodie post pauculas horas ad Dominam meam S. Mariam perveniam, & omnes SS. ut cum illis æternum laudem Jesum meum & SS. Trinitatem. Denique cuidam dixit, sequentem noctem habebo valde difficilem, sed tamen misericordias Domini in æternum cantabo. Advertite quid sit sanctè mori! sive, quomodo moriantur justi! & simul discite ita mori, id est, ita in vita colere SS. Trinitatem, ita amare Jesum crucifixum, ita colere B. V. & alios sanctos; ut in eorum cultu & amore etiam aliquando expiremus. *Cultor SS. Trinitatis.*

§. 6. *Suadet usum Rosarii SS. Trinitatis.*

Bene faciunt illi sodales (& vocandi sunt ignea specula ardenter amantium Jesum crucifixum) qui coram ejus imagine præter rosarium quinque SS. Vulnerum, recitant Rosariolum SS. Trinitatis, illa intentione ut illi ad majorem ejus gloriam, offerant omnia opera, totam vitam, sed præcipuè horam ultimam, demisse obtestantes, ut momentum ultimum vitæ nostræ, subsequatur felix æternitas, ut in æternum SS. Trinitatem laudemus & amemus Jesum Salvatorem nostrum.

§ 7. *Alia pia desideria sanctè morientium.*

Venerabilis Beda cum in agone cum magna lætitia caneret, Gloria P. & F. & Spir. S. vivere desiit, & mori in actuali laude SS. Trinitatis, an non est hoc, mori sanctè & beatè! Utimini hac aurea praxi, hoc aureo rosariolo, ut & nos aliquando

sic mo-

ſic moriamur. Ultima ſuſpiria S. Auguſtini dum moreretur, fuerunt: O tres coæquales, & coæternæ Perſonæ, Deus unus! pulſant ad oſtium tuum, Pater miſericordiſſime, deſideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lacrymarum oculorum meorum, ut evadam ad te Dominum Deum meum ut videam divitias regni tui, & videam faciem tuam ſemper, & laudem dicam nomini tuo.

Finis hujus exhort. ſit mors B. Stanislai Koskæ quam vide in precioſis occupationibus morientium Soc. Jeſu, fol. 8.



EXHORTATIO IIX.

MENSE AUGUSTO.

Octavum igneum ſpeculum eſt perforatum Latus Chriſti in Cruce.

Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.
Joan. 4. cap. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Latus Chriſti eſt verus fons.*
§. 2. *Eſt fons Lavans ſordida pectora.*
§. 3. *Tentatis refugium.*
§. 4. *Triſtibus Paradiſus voluptatis.*
§. 5. *Oſtium vitæ.*
§. 6. *Devota & ſancta mors Antonii Madridii, ferventis amatoris Ieſu crucifixi & cultoris SS. Vulnerum.*
§. 7. *Pium deſiderium ad Ieſum crucifixum.*

§. 1. *Latus Chriſti eſt verus fons.*

DEus electum ſuum populum Judaicum ex ferrea Pharaonis ſervitute liberare volens, cum ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna

lumna ignis antecedebat, persequente Pharaone, sicco pede per mare rubrum iter præbuit Exod. 14. v. 22. Hac liberatus vastam solitudinem Raphidim est ingressus, cumque ibi aqua ad bibendum populo non esset, magnaque siti & fame premeretur, gloria Dei hic apparuit, panes de cœlo pluit & ex dura ac saxea petra Moyse virga, jubente Deo, percutiente, aquam largissimam eduxit, ut populus famem sitimque ardentem arceret, ne in hac vasta solitudine periret. Viso hoc populus magno exsultavit gaudio, quod tam mirabilis esset Deus in operibus suis. Magno fuit Agar gaudio cum Deus illi in arenosa solitudine fontem aperiret, quo sitim suam filiiq; sui levaret. Gen. 17. v. 14. Magnum præbuit Solamen Eliæ fons ad quem manus Dei eum ducebat, cum in sua regione cœlum nec rorem nec pluviam daret. Ut sitim sedaret & à corvis pasceretur. 3. Reg. 17. v. 45. Fateor quidem hæc magna Dei beneficia nec sat lingua Angelica exprimenda esse, tamen coram istis nobis in novo testamento à Deo præstitis sunt umbra, nec ullam habent comparationem. Etsi illi ob hæc adeo sint gavisi quanto majorem nos habemus ansam gaudendi & lætandi, non enim nobis eduxit fontem ex arenosa terra, non levavit sitim animæ nostræ aqua è terra producta, sed longe meliorem ac præstantiorem, quam Adæ peccatum occluserat, fontem aperuit, qui salit in vitam æternam. Joan. 4. v. 14. Et hic pretiosus fons in venerabili latere & corde Christi Jesu scatet, hic est verus & vivus fons ex quo pretiosus ille cruor effluxit, qui animam nostram, si sitiat, vere & mystice satiat. In hac rupe, in hac petra, in hoc venerabili latere scatet ille nobilis fons, cujus una guttula mundum universum salvum facere potest. O felices nos, qui ex hoc pretioso fonte haurire possumus, nam qui ex hac aqua bibet *non sitiet in æternum* Joan. 4. v. 13. Patres nostri biberunt ex fonte ex rupe elicito, & sunt mortui, qui autem ex hoc fonte bibet, *vivet in æternum* Joan. 7. v. 56. Quam efficax & quam mirabiles operationes & virtutes hic fons habeat paucis in hac exhortatione ostendam.

§. 2. *Est fons Lavans pectora sordida.*

Fons in quo lavamur, mundamur; in quo delentur nostræ iniqui-

iniquitates, latet, & salit ex latere, & vulnerato corde Christi crucifixi. Zach. 13. v. 1. *In illa die* (die Parasceves, cum Longinus lancea aperiet cor Filii Dei,) *erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatorum.* S. Ambr. *Exivit aqua & sanguis de Latere Christi; illa, quæ diluat: iste, qui redimat.* S. Leo, hunc cruorem vocavit *sanguinem Redemptionis*; ita ut Patri cœlesti placuerit sanguinem aperti cordis acceptare pro ultimo precio Redemptionis. Alii SS. PP. vocant *Complementum, & ultimam perfectionem nostræ Iustitiæ.* S. Cyprianus. *Sanguis ille emanavit ad complementum perfectionemque totius Iustitiæ.* Itaque agite sodales, quia mori desideratis sanctè, quia intentio nostra est, hac hora ferventi oratione petere & flagitare tantam gratiam; hoc agamus ut peculiari devotione feramur erga SS. Vulnus aperti lateris crucifixi; variis deliciis & morte suavissima nos coronabit. Hæc fient &c. (fac p. dictorum repetitionem.)

§. 3. *Tentatis locus refugii.* In agone Diabolus gravissimè nos tentabit; Cogitate illum fore accipitrem; misellam aliquam animam, Columbam. Tali columbæ, morienti sodali inter assultus dæmonis, necessarius erit tutus aliquis locus refugii! *Montes excelsi cervis; petra refugium herinaceis.* Columbæ quærunt cavernas maceriæ. Quæramus nos tempestive in Petra, quæ est Christus crucifixus, quæramus inquam, locum tutissimum, Vulnus lateris & cordis Salvatoris. Quisquis in agone hic morabitur, ridebit assultus dæmonis & inferni! Vulnus hoc est turris fortissima. Morte securissima coronabit nos Dominus.

§. 4. *Tristibus Paradisus voluptatis.* In agone circumdabunt nos dolores mortis, pericula inferni circumvenient nos; Amemus Christum crucifixum, colamus SS. Vulnus lateris, & illud nobis erit Paradisus deliciarum, & locus voluptatis. In paradiso fuit pax firma, nulla perturbatio; suavior nobis erit pax & quies in Vulnere sanctissimi lateris. In paradiso fuit suavissimus aër, nobis in agone dulcissima aspiratio erunt, ardentissima suspiria. In Paradiso fuit certitudo æternæ gloriæ, eadem nobis erit, cum expirabimus in Vulnera lateris Christi crucifixi.

S. Ste


S. Stephano Act. 7. v. 55. summa in morte consolatio fuit videre cœlos apertos, & portam gloriæ æternæ. S. Augustinus, Evangelista non dixit, *Percussit aut vulneravit ejus latus, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* O nos beatos, si in agone hoc ostium nobis pateat. *Hæc porta Domini, justi* (sodales Agoniæ) *intrabunt per eam.* S. Aug. *Ingressi in eam confitebimur Domino.* Sed necesse est, ut dicamus cum S. Bonav. & S. Petro, *bonum est nos hic esse,* (scilicet in Vulnere Christi) *faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus; unum in manibus, aliud continuum in latere; ubi volo quiescere, & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare; ubi loquar ad cor ejus, & ab ipso, quod voluero, impetrabo.* Et hic *erit requies mea in semper. Ibi pascar à Vulnere* (subinde, *lactabor ab ubere, & miscebo lac Matris cum sanguine filii & hac erit dulcissima potio in vitam æternam, Amen.*) §. 5. *Ostium vitæ.*

Omnibus his deliciis coronatus fuit P. Antonius Madridius, hic sibi quotidie dicebat; *Morere tibi* (sive disce vivere & mori) hoc modo; *Vita tua sit perpetua laus Dei, & Iesu crucifixi.* deinde frequenter aspirabat: *Iesu custodi cor meum in timore & amore ante oculos tuos, qui me undiq; circumspiciunt.* In continua memoria Jesu sibi præsentis, tam sanctè vixit, tam ferventer oravit, ut passim fuerit vocatus: *Carbo ignitus omnes accendens igne amoris Dei.* In agone dixit ad circumstantes, *Valete, ego eo:* & ad crucifixum conversus, *Habes ubi divitias tuæ bonitatis ostendas. Tu agnus Dei qui tollis peccata mundi. & hujus scelerati peccata tolle.* Mox Mariæ Matri gratiæ, ut in hora mortis susciperetur, se commendans vivere desiit. §. 6. *Devotio & sancta mors Antonii Madridii, ferventis amatoris Iesu crucifixi & cultoris SS. Vulnerum.*

O si ego modo in hac cathedra essem talis ignitus Carbo. O mi Jesu, tuis flammis, tuis ignibus, tuo sanguine succende me. fornaces cupio esse sacros. tua Vulnera. Accendi autem cupio, primo ut amem te; deinde, ut meos quoque sodales accendam. hæc enim sunt ignea mea desideria! ah sod. dilecti, Discite vivere, discite mori. Vita sodalis hujus S. Congregationis debet esse perpetua laus Jesu crucifixi. In omni actione, præcipuè in oratione, talis sodalis cogitat, se circumspici §. 7. *Pium desiderium ad Iesum crucifixum.*

 ab ocu-

ab oculis crucifixi. Itane! O bone Jesu, ecce meos sodales custodi nos in tuo timore & amore. Ecce habes ubi ostendas divitias tuæ bonitatis. Es agnus Dei, qui pro omnibus in ara crucis fuit immolatus, & nostra peccata tolle, ut aliquando moriamur sanctè!



EXHORTATIO IX.

MENSE SEPTEMBRI.

Ignea specula sunt clavi Jesu Crucifixi.

Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur.
Luc. 12. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *B. Coleta halitus sub oratione erat totus igneus.*

§. 2. *Arrha connubii inter crucifixum, & S. Theresiam, fuerunt clavi crucifixi.*

§. 3. *Iidem sodalibus Agonia possunt esse signum æternæ salutis.*

§. 4. *Crucifixus promisit S. Theresiæ, se nihil ipsi postulanti negaturum, Pia Visio de Sinistro clavo.*

§. 5. *Neque sodalibus agonia negabit sanctam mortem, si petant.*

§. 6. *Crucifixi desiderium est, ut nobis prosit suus sanguis.*

§. 7. *Brevis adhortatio ad menstruam communionem.*

§. 1. *B. Coletæ halitus sub oratione erat totus igneus.*

BEata Coleta Ordinis S. Claræ Religiosa cùm versaretur in oratione, visa sæpe est in aëre sublimis, & igneum ore vaporem exhalare, ut universum illius conclave æstuare, & scintillare videretur. Utinam, præsens mea exhortatio tali igne fragrans & ardens, similibus scintillis impleret non tam hoc templum, quam corda meorum sodalium. Hæc cupio ardere ardenti amore erga Christum crucifixum; semper

ſemper, ſed præcipuè ſub roſario 5. SS. Vul. quod mox recitabimus, pro obtinenda felici morte. O! utinam hac exhortatione igneæ ſagittæ, ardentes ſtimuli, ad amorem crucifixi in nobis accendendum ſint grandes, craſſi, longi, illi clavi, quibus Chriſtus D. fuit cruci affixus; illi clavi, qui pedes & manus Salvatoris hiantibus Vulneribus aperuerunt. Si oculos deinde conjicere velitis in manum Angeli in altari, magnitudinem & formam clavorum meditari poteritis. O ſi in cordibus veſtris peculiarem devotionem erga hos clavos excitare poſſem, tum, Orabitis ferventiſſime.

§. 2. Arrha connubii inter crucifixum & S. Theresiam, fuerunt clavi crucifixi.

Ita oravit Seraphica Virgo S. Thereſia. Inter varios favores à Chriſto crucifixo ſibi exhibitos, hæc quoque ipſa deſcripſit. Hæc verba aliquando ad me Dominus protulit. Noli metuere filia mea, ut quis te à me divellere queat; tum mihi dexteram ſuam porrexit, dicens, Reſpice clavum hunc, futurus enim eſt ſignum & arrhabo, ab inde ab die hoc ſponſam meam te fore. Cum eadem S. Virgo aliquando à S. Synaxi recederet, vidit apertè ad latus ſuum aſſidere Jeſum, qui amiciſſimis & ſuaviſſimis verbis illam ſolatus dixit ecce me, filia mea! nam ego ſum, tuas mihi oſtende manus, quas acceptas ſuo lateri imponens ait, Reſpice Vulnera mea, non es ſine me. Et ex illo tempore Thereſia longe alia ratione attendit ad ea, quæ Dominus paſſus eſt, nempe tanquam peculium ſuum, nam inter alia hæc quoque illi dixit cœleſtis ſponſus. Noſti jam, quod ſit te inter & me connubium; ac proinde quod habeo tuum eſt. Unde omnes tibi, quos paſſus ſum dolores, & labores, cedo: & ideo hos à Patre meo, velut proprium quid exigere potes.

§. 3. Iidem ſodalibus Agoniæ eſſe poſſunt ſignum æternæ ſalutis.

Neſcio an ſuavioribus verbis meos ſodales hodie alloqui poſſim. Animæ piæ, quid timetis mortem? an ideo, ne, quis in morte vos avellat à Jeſu crucifixo? facientne fortaſſis commiſſa peccata? Non. Avelletne Satan? Non. Separare vos poterunt mille illius tentationes? Non. Erigite oculos! aſpicite laceratos crucifixi pedes, & vulneratas manus: ecce iſtos clavos, ſponſus veſter vobis offert in ſignum & arrhabonem

ſanctæ mortis, & æternæ beatitudinis; ut certiores ſitis, ſub oratione erigite in altum veſtras manus, ſi mundæ ſunt; immergite profundis Vulneribus, non eſtis ſine Jeſu. Sodales amantiſſimi, inter nos & Chriſtum crucifixum eſt connubium quoddam, deſponſavit nos ſibi in ſanguine ſuo; ideoque & nobis donavit omnes ſuos dolores &c. ut jure quodam per illa à cœleſti Patre petere poſſimus felicem mortem. Hac exhortatione clavos præcipue imponam cordibus veſtris, ut &c.

§. 4. *Crucifixus promiſit S. Thereſiæ, ſe nihil ipſi poſtulanti negaturum. Pia viſio de clavo ſiniſtræ manus.*

Cum eadem S. Thereſia nocte quadam perſeveraret in oratione & meditatione Paſſionis dixit illi Chriſtus D. *Quid à me poſtulas cariſſima, quod non præſtem tibi.* & mox ſubſecuta fuit mirabilis viſio. Dominus enim ſpectandum ſe Virgini dedit, & manus ſuæ ſiniſtræ plagam cœpit oſtendere, & dextera ingentem ſiniſtræ clavum educere: videbatur porro una cum clavo etiam carnem evellere, quod non niſi graviſſimo dolore fieri videbatur, qui etiam me ad ei compatiendum excitavit, & ad ardentiſſimam orationem; tum Dominus ſubjunxit, & in ſe recepit, ſive promiſit, Quidquid unquam Thereſia efflagitaret, id illico ſe illi conceſſurum. Cauſam addidit, ſe ſcire, ſe diligi à Thereſia.

§. 5. *Neque ſodalibus agoniæ negabit S. mortem, ſi petant.*

Adverto bene, vos non poſſe talia audire ſine peculiari ſolatio, & compaſſione erga Chriſtum crucifixum: puto vos cogitare, O felicem Thereſiam! eadem & ego cogito, ſed ſimul meis ſodalibus ex animo gratulor. Quid enim à Chriſto crucifixo poſtulare poteſtis, quod non præſtet vobis. Poſtulatis ut adſit vobis in ſuprema lucta. Orate, aderit. Ut vos includat in ſua ſacroſ. Vulnera. Orate, includet. Ut oratio ſit ardentior, clavos præcipuè aſpicite, & conſiderate, quos dolores Chriſto D. cauſarint, cogitate vos videre laceram carnem, quam lacerarunt, nervos, venas quas transfixerunt, ebullientem ex fontibus ſanguinem, quos aperuerunt. Quidquid in hac conſideratione, inter has cogitationes flagitabitis, hoc concedet. In arrhabonem vobis offert ſanguineos clavos. Si tamen ſciat, quod à vobis diligatur. Utinam ergo his clavis, veluti igneis ſagittis, corda veſtra transfigere, iiſdem quaſi accenſis radiis accen-

accendere possem, ut Christum crucifixum amemus ex toto corde, ex tota anima &c.

Alias post S. Communionem piissimus Salvator S. Theresiam sic fuit allocutus: Volo filia, ut meus tibi sanguis prosit, neque est, quod pertimescas, ne mea tibi unquam defutura sit misericordia; Equidem eundem magno cum dolore profudi; tu eodem suavissimè ac blandissimè frueris. & ut vides abunde tibi, quod hodie mihi instruebas epulum, compensat. Quidni iisdem planè verbis alloquar amantissimos meos sodales; animæ piæ, videtis sanguinem profluentem ex Vulneribus pedum crucifixi, cernitis in illis duros clavos; vult Redemptor noster ut hic sanguis, hæc vulnera, hi clavi nobis prosint. Si per illa ardenter velimus petere, sanctam mortem, non negabit (sic discurre de Vulneribus manuum) & nolite pertimescere, nunquam nobis deerit ejus misericordia! nimis magno dolore pro nobis Christus D. suum sanguinem profudit &c.

§. 6. *Crucifixi desiderium est, ut nobis prosit suus sanguis.*

Sed hoc quoque moneo, ut finiam. Christus crucifixus S. Theresiæ hos favores concessit, vel tantas gratias promisit, quia magna devotione sumpserat SS. Synaxin; puto ob hanc causam statuta hujus congreg. exigere menstruam communionem; in illa præcipuè nobis licet sanguine Christi blandissimè & suavissime frui; ut aliquando sanctè moriamur, & æternum deinde vivamus in cœlis.

§. 7. *Brevis adhortatio ad menstruam communionem.*

EX-

EXHORTATIO X.

MENSE OCTOBRI.

Igneum ſpeculum eſt ſanguis Jeſu Crucifixi.

Ignem veni mittere in terram, quid volo, niſi ut accendatur.

Luc. 12. cap. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Brevis repetitio priorum Exhortationum.*

§. 2. *Sanguis Chriſti inſtauravit Orbem.*

§. 3. *Sanguis Chriſti eſt ſatisfa-ctio pro noſtris peccatis.*

§. 4. *Chriſtus D. pro nobis effudit profluvium ſanguinis.*

§. 1. *Brevis repetitio priorum exhortationum.*

FErventes amatores Chriſti crucifixi; ejus facies ſudans ſanguinem in monte Oliveti inter anguſtias mortis; idem vultus impreſſus ſudario Veronicæ in bajulatione crucis, clavi, cruentum ejus latus, Vulneratum cor, Roſea vulnera, Chriſti è cruce pendentis effigies, hactenus in meis exhortationibus fuerunt ignea ſpecula, quibus conatus fui, in cordibus veſtris inflammare, hinc ardentem erga crucifixum amorem, inde fervens deſiderium, ferventi oratione Roſarii 5. SS. Vulnerum impetrandi ſanctam mortem. O mi Jeſu! video faciem, oculos, frontem, genas &c. omnia membra; vulnerata; imò Paſſionis tuæ inſtrumenta, virgas, ſpinas, clavos, crucem, lanceas, reſperſa precioſiſſimo tuo ſanguine; da mihi gratiam, ut hac exhort. tuo ſanguine, veluti ſpeculo, eaſdem flammas excitem, in cordibus meorum ſodalium.

De

De hoc ſanguine magna eloquentia ait S. Greg. Naz. or. 42. *Quamvis permulta illius temporis* (ſub crucifixione) *miracula fuerint, Sol obſcuratus, rurſum inflammatus, velum ſciſſum ſanguis & aqua profluentes ex latere, terra tremore concuſſa, petra prorupta*, & multa alia ſigna. *Nullum tamen cum ſalutis noſtræ miraculo conferendum eſt, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem univerſum inſtaurarunt, atque idem quod lacti coagulum, hominibus, præſtiterunt, in unum nos conjungentes* cum Chriſto. gaudeo ex animo de illa cordium conjunctione, quæ eſt inter ſodales hujus congregationis, de illa conſpiratione, ut ſint devoti Vulneribus Chriſti, (eſt locus pro p. inductione) hoc requiro ad perfectionem, ut vi ſanguinis Chriſti, omnes ſimul uniamur, cum Chriſto crucifixo. Mi Jeſu, guttæ tuæ ſang. quas ex his pedibus defluere video carbones ſunt: his cupio liquefacere ſod. meorum corda, ut ſub oratione primæ & ſecundæ decadis confluāt in accenſam fornacem cordis tui, ut per tuum ſanguinem tecum conjungantur. Guttæ ſanguinis quas video decidere de ſacroſanctis manibus, gluten ſunt; hoc glutine ſub or. 3. & 4. dec. cupio tibi adunare animas, affectus & cogitationes meorum ſodalium, ut in ſanguine tuo ſimus unum tecum. Guttæ ſane, quæ profluunt ex benedicto corde, ſunt vittæ coccineæ, his cupio &c. Ita tibi unita corda, per liquefactionem, per carbones, per conglutinationem, per colligationem, ſimul ardebunt. Guttæ ſanguinis tui, erunt ſpecula uſtoria &c. §. 2. *Sanguis Chriſti inſtauravit orbem.*

Non timeamus infelicem mortem ob commiſſa peccata; Chriſtus D. ſuo ſanguine pro illis ſatisfecit; in hoc fonte facile illa delere poſſumus; Juſtitiæ D. offeramus has guttas, & facile illi ſatisfiet. pſ. 29. v. 12. ait David in perſona Chriſti, *conſcidiſti ſaccum meum*: ubi p. S. Aug. ſer. ult. de tempore. *Saccus Chriſti, erat ſimilitudo carnis peccati; Non tibi vileſcat, quod ait ſaccū meum; ibi enim erat incluſum precium tuum; In paſſione confeſſus eſt, & dicit Patri, Conſcidiſti ſaccum meum, quia,* (ad Rom. 8.) *proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Conſcidit ſaccum lancea perſecutor, & fudit precium noſtrum Redemptor,* (iterum fiat digreſſio per decades Roſarii ad ſang. Chriſti. §. 3. *Sanguis Chriſti eſt ſatisfactio noſtra pro peccatis.*

F Ardo-

§.4. Christus D. pro nobis effudit profluvium sanguinis.

Ardorem, fiduciam in orando, inflammatum amorem erga Christum crucifixum, accendere potest vers.7. ps.129. *Copiosa* (S.Aug.multa) *apud eum Redemptio*. Siq. Christus D. non guttam sanguinis modicam (Clem. VI. in extrav.) *quæ tamen propter unionem ad verbum, pro redemptione totius generis humani sufficeret, sed veluti quoddam profluvium noscitur effudisse.* quod S. Chrysost. hoc simili declarat, *Multo plura his, quæ debebamus, Christus rependit; atque tanto plura, quanto mare immensum, ad pusillam guttam collatum majus esse possit.* Addit S. Athan. l. de Incar. Verb. *Corpus, quod mori posset assumsit.* (p.I. quod flagella &c.) *ut pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret; & mortem in omnibus, quasi stipulam igni consumeret.* ideo ad calicis consecrationem, plus vini apponendum est, quàm aquæ, quia per majorem vini copiam, majorem esse majestatem sanguinis Christi, significatur, quàm fragilitatem humani generis per modicum aquæ denotatam. S. Bern. Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia; cum enim ipse crucifigeretur, cum sanguinem in cruce effunderet, appensa sunt cum ipso peccata, quæ commisimus; cum inclinato capite emisit spiritũ, præponderavit sanguis; eodem deleta fuit syngrapha peccatorum (ex his fiat p. affectus) hoc facite sodales, ecce Stateram &c.



EXHORTATIO XI.

MENSE NOVEMBRI.

Speculum igneum, est memoria Jesu Crucifixi.

Et erit vita tua pendens ante te.

Deut. 28. cap. v. 66.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§.1. *Tor-*

DE sancta Virgine Maria Ognacensi ait ejus vita; Tantam compunctionis gratiam ex ejus corde; tantam lacrymarum copiam ex oculis exprimere solebat, torcular crucis, ut lacrymæ desuper per pavimentum Ecclesiæ diffluerent. Per torcular illud ego intelligo, memoriam agoniæ Christi pendentis in cruce &c. cujus, quoties piissima Virgo memor fuit, dolere & flere debuit. O mi Jesu crucifixe! O si ego in brevi hac exhort. eodem torculari! O si ligno crucis, in quo agoniam passus es! O si illis clavis, quibus manus & pedes tui cruci affixi sunt! O si illis spinis sacrosancto tuo vertici altè impressis! O si pondere tui sang. O si pondere tuarum lacrymarum, O si guttis lethalis tui sudoris, ex cordibus meorum auditorum, exprimere possem intensissimum dolorem, de omnibus peccatis; O si ex omnium oculis, vel unam saltem ex cordibus exprimere possem, guttulam. Sed tenerrimæ contritionis, guttulam, sed calidissimi amoris erga Jesum crucifixum. Mi Jesu! ideo peto hanc gratiam, ut in hac congregatione devote oremus Rosarium SS. Vulnerum pro obtinenda sancta morte. §. 1. *Torcular crucis, sive memoria Passionis facile exprimit lacrymas contriti cordis.*

Meis sodalibus, si ferventer orare, si sanctè vivere desiderent, ut accendantur, igneum speculum esse cupio, memoriam Christi Agonizantis in cruce. Sine magna utilitate mortis Christi meminisse non possumus. Prædixit illud Moyses Deuter. 28. v. 66. *Et erit vita tua pendens ante te.* Literaliter impleta fuit hæc prophetia, cum auctor vitæ, Christus Salvator noster in monte Calvariæ pependit in cruce. In sensu mystico cuivis ob oculos ponitur vita pendens in cruce, quoties homo pios oculos conjicit in imaginem aliquam Crucifixi, & ex ejus intuitu redditur memor dolorum quos Salvator noster sustinuit in Cruce. Sed quid inde sequetur? addit idem Moyses, §. 2. *Non possumus meminisse mortis Christi sine fructu.*

Et timebis die ac nocte. Qui peccator ex aspectu crucifixi non timeat, si cogitet se fuisse causam tantorum dolorum &c. Si audiat effusum sanguinem, imo clavos, spinas, crucem clamare vindictam? Hujus mentis fuit S. Leo. ser. 8. de pass. *Isti nihil in crucifixo Domino præter factum suum cogitare possunt, habentes timorem, quo conscientia iniqua torquetur.* Sed salutaris est hic timor. Itaque si fortassis aliquis meorum sodalium actu esset in statu peccati mortalis, hunc rogo, ut antequam oret, inspiciat hoc igneum speculum, ut ad salutarem timorem; ab illo ad verum dolorem de peccatis moveatur.

§. 3. *Memoria crucifixi provocat nostrum amorem.*

Alter fructus est suavior, quem innuit alia lectio horum verborum, quæ sic habet. *Erit vita tua pendens ante te, & amabis die ac nocte.* Hæc est vera nota alicujus sodalis ex hac congregatione, die & nocte amare crucifixum; non amabimus autem, nisi sæpe igneum hoc speculum intueamur, nisi frequenter recordemur Passionis Christi. hoc agite! perpendite bene, quid sit, Christum pro nobis in cruce voluisse sustinere angustias mortis! mox amabitis, (hoc modo, fiat pulcra inductio.) Hoc fuit expertus S. Bernardus, cum ser. 20. in Cant. Christum in cruce pendentem his verbis fuit allocutus. *Super omnia reddit amabilem te mihi bone Iesu, calix quem bibisti, & opus nostræ Redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile totum vendicat sibi. Hoc inquam est, quod nostram devotionem, & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.*

§. 4. *Prosecutio.*

Ob hanc causam SS. Patres SS. Crucem appellant Aram amoris, sed ubi sagitta? Christus pendens in cruce de se ait If. 49. v. 2. *Posuit me sicut sagittam electam.* O igneam sagittam! O sagittam acutam & penetrantem! ut exclamet S. Chrysost. *Ista sagitta vulneratus Petrus dicebat Christo, Domine tu scis quia amo te; Ista sagitta, vulneratus Paulus, & convinculatus Christo dicebat,* ad Rom. 8. v. 35. *Quis me separabit à caritate Christi. Ista sagitta vulnerata omnis casta Ecclesia, dicit, Vulnerata caritate ego sum. O gemitus de medio cordis amabilis.* O mi Jesu da mihi hanc gratiam, ut torculari crucis, ex sodalium meorum cordibus exprimam hos amabiles gemitus! Meus Jesus hoc ipsum desiderat,

gratiam

gratiam suam offert, vestrum est, id facere. Quid hæres? quid tergiversaris? quid siles? fare, dic, aspice prius hiantia vulnera, aspice sang. tum dic cum S. Petro, Domine Jesu tu scis, quia amo te &c. Sic de S. Paulo & sponsa &c. *O gemitus de medio cordis amabilis.* Non dixi sine causa, Jesum velle à nobis diligi, nam refert Th. Cantipratanus Virgini dubiæ, num mundum an Christum diligeret, apparuisse illi *Christum D. quasi plagis recentibus crucifixum, & audivit illum leni sermone dicentem, me diligas. qui sum formosus, bonus, dulcis, generosus.* p. Pro voculis illis, timebis, amabis, poni etiam potest, Orabis, hoc agite &c. fecit S. Ignatius, hinc illa orat. Anima Christi &c. Fecit S. Xaverius; hinc illa fervida suspiria O Deus, ego &c. Ut sic oremus, statim conjicite oculos in Christum crucifixum in schola Vulnerum Christi, ad radios ignei speculi crucifixi compositæ sunt illæ Oratiunculæ.

EXHORTATIO XII.

MENSE DECEMBRI.

Igneum speculum est SS. Crux.

Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur.

Luc. 12. v. 49.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Breve compendium omnium Exhortationum anni 1666.*

§. 2. *Christus D. pendens in cruce, confertur cum igneo speculo.*

§. 3. *SS. Vulnera, sunt rima hujus speculi, per quas flammæ amoris fortius erumpunt.*

§. 4. *Centrum hujus speculi est Christus crucifixus.*

§. 1. *Breve compendium exhortationum anni hujus 1666*

CUm Exod. 3. vers. 3. Moysi apparuit Dominus in flamma ignis, in medio rubi, qui videbatur ardere, & tamen non consumebatur Moyses stupore attonitus dixit, *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Alia versio sic habet, *Vadam & videbo speculum hoc magnum.* Dum voculam hanc nomino, non dubito, quin ultima exhortatione hujus anni 1666. quo varia ignita specula oculis vestris proposui, elegantissimum à me exspectetis. Vulneratum cor crucifixi, imago crucifixi: Facies Christi in agonia montis Oliveti sudans sanguinem, eadem benedicta facies impressa sudario S. Veronicæ, crucifixus suis amatoribus promittens assistentiam in morte, crucifixus solatium morientium, cruentum Christi latus; Clavi quibus cruci fuit affixus, divinus ejusdem sanguis, tam copiose pro nobis effusus, memoria Jesu crucifixi, plurimi ejusdem ferventissimi amatores, fuerunt ignea specula, quibus sodalium meorum animos in amore crucifixi; fui conatus inflammare. Ultimum, sed ignitissimum hac exhortatione erit SS. Crux, in qua Christus D. pro nobis ex infinito amore, mori voluit. Eamus cum Moyse, & videamus hoc speculum.

§. 2. *Christus D. pendens in cruce, confertur cum igneo speculo.*

Ignita sive ustoria specula illa præcipuè vocantur, quæ concava sunt, in quorum proinde concavitate radii solis magis uniuntur, & sic fortius urunt & accendunt. Apud SS. Patres legi, Solem Justitiæ, vel solem amoris nunquam & nullibi, ita intendisse ardorem, ignem, lucem, scintillas & radios sui amoris, sicut cum pependit in cruce, unde non mirum est si SS. Crux, vel Christus D. in cruce in rubo, sive coronatus spinis, ita amatorum suorum corda instar speculi urat, & accendat; Igniti radii, ignei hujus speculi, sive Christi D. pendentis in cruce fuerunt amorosa illius suspiria, quibus suspiravit ad Patrem: igneæ scintillæ fuerunt tot guttæ sanguinis, quibus speculum SS. Crucis cœlestis sponsus rubescat. Ignei globuli fuerunt copiosissimæ lacrymæ, quibus hoc speculum fuit irrigatum. Ardentes quasi carbones fuerunt guttæ lethalis sudoris, qui ex omnibus membris Christi D. erupit. Si tales radii, si tales scintillæ, si tales globi, si tales carbones, de speculo crucis decidant in corda no-

da no-